



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,
in visitationem Saxoniam**

Cochlaeus, Johannes

Parisiis, 1564

De Sacrificio Missae, cap. 25.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35803

cras expellere Virgines aut Monachos e monasteriis? Certe si recte considerares nouissima nunquam permitteres, desperato Apostate, ad tanta scelera, tua facilitate, abuti.

DE SACRIFICIO

MISSÆ.

CAP. XXV.



NE te (Illust. Princeps) mōstroso isto colloquio ad tædium vsque fatigem, reliqua visitationis capitula, sub contradictionū compendio, Deo dante, trāscurrā, multas quidem blasphemias ac maximè impias & horrendas, in compluribus libris & sermonibus suis, contra sanctissimum Missæ sacrificium, scripsit & ebuccinavit Apostaticus iste Rapsaces. At idem, antequam in reprobum sensum per inobedientiam traditus esset, non semel Sacrificium illud cum tota Ecclesia & confessus est, & reuerenter agnouit: idque in iis præcipue libris, ex quibus gratiam, & fauorem tum populi, tum optimatum longe maiorem consequutus est, quàm ex iis libris, in quibus Missæ sacrificium væsana impietate negauit. Qui enim librorum eius gratiores fuerunt, quàm explanatio decem præceptorum? Resolutio xcv. propositionum?

DE SACRIFICIO

Missam esse sacrificium. Et expositio Psalmi cix. At in iisce libris fate-
 tur aperte, Missam sacrificium esse: Ita enim
 conqueritur in primo præcepto contra septem
 aureas Missas. Ita iniquissimus (inquit) hostis,
 nec hoc saltem sacrificium nobis reliquit syn-
 cerum. Et in Resolutione xxvj. propositionis,
 cum sacerdos (inquit) cum populo orat, ieiun-
 nat, sacrificat. De quo suffragio nullum est du-
 bium, quin vehementer profit & redimat ani-
 mas. In psalmum deniq; 109. ait: Sacerdotium
 Christi nunquam habet finem in perpetuum,
 sed offert se, & suos patri in sempiternum.
 Item, Quid est quod Melchisedech panem
 & vinum obtulit pro Abraham? Ibi expressit
 sacerdotium Christi in hoc tempore, usque ad
 nouissimum diem, quod absconditum sacra-
 mentum altaris sacri corporis & preciosi san-
 guinis sui offert in Ecclesia. Fatetur præterea
 se xv. annis Missam pro sacrificio & agnouisse
 & celebrasse. Nunc ergo tecum perpende (Il-
 lust. Princeps) utrã eligas partẽ: Si sacrificium
 cum ipso, in posterioribus, furiis verius quàm
 libris, abnegaueris: stabit ipse contra te in li-
 bris prioribus, quos scripsit, antequam Satanæ
 traditus est, & cum istis ipsius testimoniis sta-
 bunt simul aduersus abnegationem tuam, Pro-
 phetæ & Apostoli, omnesque sancti martyres
 & Confessores, omnia Concilia sancta, ac vai-
 uersa Ecclesia Catholica: à quibus Missa per
 annos iam M. D. pro sacrificio certissimè ha-
 bita est, nullo prorsus contradicente. Quid
 ergo?

*In lib. 2. cõ-
 tra Zuingl.
 & Oecolam-
 padium.*

ergo? Visne vt Deus Iudex tibi vni, male per Apostatã informato, plus credat, quam cunctis Conciliis & toti per M. D. annos Ecclesiæ? Certe non faciet: Nam scit, se spiritum veritatis Ecclesiæ dedisse, Ioan. xiiij. Et tibi ipsi verè opponere poterit & teipsum & Apostatam tuum. Esto enim quod nunc quinque aut sex annis credideris Missam non esse sacrificium: Attamen contrarium credidisti prius per annos plus minus quinquaginta, & Apostata tuus, non solùm credidit, sed & celebrauit sacrificium Missæ annis quindecim. Vides ergo Ecclesiæ partem longè preponderare, non solùm numero sanctitatèque & auctoritate testium, verumetiam iure longissimæ præscriptionis, contrariòque, & tui ipsius, & Apostatæ tui testimonio. Quod si adhuc aliquis tibi scrupulus sit, interroga ipsum, an vllus Christianus ante hoc paradoxum eius, negauerit apertè (vt ipse facit) Missæ sacrificium. Si nullum verè indicare poterit (sicut reuera non potest) cur eum sequeris solum? Ait enim sapiens, Ecclesiast. 4. Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet subleuantem se: Pars nostra latissimè probata est scripturis & rationibus, testibúsq; innumeris, & omni exceptione maioribus, à Rege Angliæ Illust. ab Episcopo Roffensi, à Clichtoueo, à Ioãne Fabro, à Ioanne Eccio, ab Emsero, Sasgero Dietembergio, &c. Quid contra respõdit Apostata tuus cum omnibus suis & cõplicibus & Suermeris? Audè

DE CANONE

saltem, quid adhuc pauca respondeat, & responsum eius trans mitte mihi, ut indicem tibi ultra quam bene responderit.

De Canone Missæ.

CAPVT XXVI.

IN extremo furore sacræ Canonæ Missæ multis & blasphemis & calumniis Teuthonicè infectatus est Lutherus iam totum ferè triennium. At ante condénationis suæ sententiam, semper cum laude & reuerentia memin it eius, & xv. annis eò religio sè vsus est in sacrificio altaris. Post cōdemnationem verò cœpit cauillari contra eum aliquot libellis, non tamen reiciebat totum, sed exponebat, iuxta cerebrosum caput suum falsis glossematis, donec tandè perfricta fronte, velut meretrix deplorata, totum reiecit & contempsit, & quidem iniuriosissimè, iuxta illud Salomonis: Impius, cùm in profundum venerit peccatorum contemnit. Vsu itaque religioso approbavit eum annis quindecim, ut ipse fassus est. Et in tertio præcepto ait, præceptum esse Canonem Missæ, qui solus proprie est (ut ait) Missâ pressa voce legi, ne audiatur. Cætera autem sunt (inquit) orationes & paramenta ad Canonem Missæ. In captiuitate autem Babylonica, ut Canonem seruaret, docuit (licet falso & malè) sacerdotes, qui sacrificant, ut verba

Prov. 18.

De X. præceptis.

In Cap. Babylonica. cap. de Eucharistia